



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus X. De his, quæ fiunt à Prælatiſ sine conſenſu Capituli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

putatus à Metropolitano in casu negligentia Capituli removeri potest à Capitulo, utpote à quo jurisdictionis exercitium non accepit Barbof. *loc. cit. num. 48.* de cetero iustæ causæ amovendi Vicarium sunt, dum negligens est in suo officio, vel in eo prævaricaretur illud malè gerendo; si appareret insufficientis. PaxJord. *loc. cit. num. 14.* plures istiusmodi causas magis in specie enumerat Pignat. *loc. cit. vide q. 617.*

3. Resp. ad secundum: Quamvis, quantum est de jure communi, vacatio Sedis duret solum usque ad confirmationem, institutionem seu provisionem novi Prælati à Sede Apostolica factam, ita ut per eam acquiratur novo Prælato exercitium jurisdictionis, etiam ante apprehensam possessionem. Gonz. *ad Reg. 8. gl. 15. §. 2. num. 80. & 81.* & ex eo PaxJord. *loc. cit. num. 48.* citans Pavin. Felin. &c. item Garc. *p. 5. c. 4. num. 243. & 250.* citans Selv. Covar. Lambert. &c. ego in *for. benef. p. 2. q. 668. num. 3.* hodieum tamen post *Extravag. injuncta. de elect. inter commun.* non prius cessat vacatio Sedis, quam si confirmationis, institutionis, provisionis Apostolicæ literæ sint expeditæ, & actualiter præsentatæ ipsi Capitulo, ita ut etiamsi istorum omnium; nimirum factæ in Consistorio propositionis, promotionis literarumque expeditionis certam scientiam haberet Capitulum, adhuc non sufficeret ad amissionem jurisdictionis, sed insuper opus sit actuali ostensione & præsentatione dictarum literarum. Gonz. *loc. cit. num. 83.* PaxJord. *num. 49.* citans alios. Barbof. *de potest. Episcop. alleg. 54. à num. 160.* qui etiam asserunt, non aliter intelli-

gendos DD. dum simpliciter dicunt, quòd literæ debeant esse expeditæ. Quin & seclusa cit. Extrav. æquum videtur, non posse Episcopum se ingerere administrationi & jurisdictionis exercitio, nisi dictis literis præsentatis Capitulo, de cuius præjudicio agitur, & de tollenda ei administratione & jurisdictione, habita ab eo Sede vacante. Quòd si tamen alicubi adest consuetudo legitime præscripta administrandi ante confirmationem electi Prælati, interea dum ea petitur aut expectatur, aut etiam id vi juris communis, nempe *c. nihil. de elect.* concessum Episcopis Prælatisque aliis Papæ immediatè subjectis, in concordia electis, valde ab Urbe remotis, etiam necdum ante eorum confirmationem, seu priusquam habeant jus in re dici nequeat Sedes plena, hoc ipso tamen, quòd concessam sibi à tali consuetudine, aut jure communi, vel etiam ab ipsa Sede Apostolica jurisdictionem usurpent, & administrare incipiant, cessat jam ea in Capitulo ejusque Vicario; neque is aut illud se amplius immiscere potest, cessante etiam ratione, ob quam ad Capitulum Sede vacante eam devolvi jura voluerunt; nempe ne Ecclesiæ gubernatore & administratore destituta grave damnum patiantur. Cessabit quoque Capituli & Vicarii potestas, dum à Sede Apostolica Ecclesiæ vasantis administratio committeretur alicui; cum talis sit loco Pastoris, possitque omnia in spiritualibus & temporalibus, quæ verè provifus, quin & creare possit (& juxta Sbrozium debeat) alium Vicarium, non secus ac ipsum Capitulum. PaxJord. *l. 12. tit. 2. num. 59.*

## TITULUS X.

### De his, quæ fiunt à Prælatis sine Consensu Capituli.

*Quest. 104. An Consilium Capituli exquirere debeat Episcopus aliusve Prælatus?*

**R**esp. Exquirere in pluribus consilium Capituli tenetur Prælatus, ita ut, dum jura actum geri volunt cum consilio Capituli, is sine eo requisito & congruo tempore expectato gestus (etiamsi de cetero gestus cum consilio aliquorum confratrum seu Capitularium) sit irritus; ut constat ex *c. novit. h. t.* Barbof. *ibid. num. 1.* & *c. quanto. eod.* Cujus tamen intellectus potest esse duplex, dum ibi dicitur: *Cum eorum consilio vel senioris partis:* nimirum ut sufficiat, adhiberi consilium senioris partis, seu Capitularium eorum, qui magis idonei sunt ad dandum consilium; qui quidem intellectus indubitatus, si consuetudo hunc modum consultandi confirmet, ut inquit Pirh. *h. t. num. 18.* Vel ut non sufficiat consilium Senioris partis, nisi etiam eadem pars sit major Capituli; cui intellectui favet jus commune, juxta quod, dum ad actum aliquem expediendum requiritur consensus (idem videtur de consilio) in-

telligi debeat de parte majore Capituli. Et hæc quidem de requirendo consilio Capituli juxta jus commune; ubi enim adest consuetudo legitime præscripta pro libertate Prælati tractandi negotia Ecclesiæ, exercendique jurisdictionem sine consilio Capituli, hæc valida erit; cum etiam æquiparetur privilegio juxta *c. ea noscitur. h. t.* junctâ *Gl. ibidem. v. libertate. & c. 3. de consuetud. in 6.* & *c. cum Ecclesia Vulterana. de elect.* Barbof. *in c. ea noscitur. num. 1.* Pirh. *h. t. num. 15.* Engels. *h. t. num. 5.* ubi citans pro hoc Gratian. *discep. for. c. 10. num. ult.* & Zerol. *pr. Episc. p. 1. v. Capitulum. numer. 8.* asserit, consuetudine vel præscriptione passim inductum, ut in plerisque casibus Episcopi procedere valeant sine consilio vel consensu Capituli Lambert. etiam *de jurep. p. 3. l. 2. q. 1. c. 4.* apud Garciam *de benef. p. 5. c. 4. §. 2. num. 139.* prout refert Reiffenst. *h. t. numer. 27.* dicat; hodieum dici posse, quòd totus hic *tit. que sunt à Præl.* recesserit ab aula. Quibus tamen duorum postremorum dictis contradicere satis videntur textus pro responsione citati. Non tamen huic exceptioni obstat, quòd *cit. c. novit.* dicatur, esse contra honesta-

tem.

tem, contra quam non valet consuetudo. Nam etsi contra honestatem sit, Episcopus præteritis membris seu Canonicis in Ecclesia negotiis uti consilio aliorum, quod in *cit. cap.* taxat Papa, & hinc fortè, ut ait Abb. *ibidem*; non valeat talis consuetudo; & certè ea non valeat, utpote contra honestatem, ubi etiam multis aliis adhibitis consiliariis præterit suos Capitulares absque justa & rationabili causa; non tamen repugnet honestati vel rationi, ubi ex rationabili causa non requirit consilium suorum Capitularium. V. g. ne revelent consanguineis suis, cum quibus Episcopo est controversia. Host. *in c. novit. v. aliquorum consilio.* & *ibidem* Gl. magna Lit. A. Pirh. *cit. num. 15.* Reiffent. *num. 28.*

**Quest. 105. In quibus in specie teneatur vel non teneatur requirere consilium Capituli Prælati?**

**R**esp. primo: Non tenetur requirere consilium Capituli, etiam in rebus arduis & independentibus à consuetudine, existente causa rationabili juxta arbitrium boni viri. Pirh. *loc. cit.* Item loquendo simpliciter in negotiis exigui & minoris momenti; cum ad Prælatus principaliter spectet administratio & cura Ecclesiarum, quæ frustra committeretur Prælati, si in omnibus opus haberent consilio Capituli dum illud semper & in omnibus congregare sit impossibile. Abb. *in c. cit. novit. num. 6.* Pirh. *loc. cit.* cum communi. Idem est in causis notoriis, ut iidem. Sed & in iis, quæ agit Episcopus jure & potestate ad se devoluta. V. g. Ob negligentiam Prælati inferioris, non tenetur exquirere consilium Capituli, nisi fortè ex aliqua honestate & æquitate; cum ea potestas devolvatur ad solum Prælatus, & non ad Capitulum. Gl. *in c. ne pro defectu. de elect. v. consilio.* Abb. *ibidem. num. 6.* Imol. *num. 2.* Laym. *in v. cum in cunctis. de elect. §. fin. num. 7.* Pirh. *loc. cit.* Quod tamen ipsum fallit in quibusdam casibus; nam si beneficium devolutum ex institutione suadatoris conferendum erat ab inferiore cum consilio Capituli Cathedralis, tenebitur etiam is, ad quem devoluta collatio in hac adhibere illud consilium; ego *in for. benef. p. 2. quest. 743. in fine*; conferendum enim est in hac devolutione cum iisdem conditionibus, eum quibus ex ejus institutione conferendum in prima provisione; cum sit prioris provisionis omisæ subrogatio. Lotter. *Lib. 2. quest. 24. num. 63.* Castrop. *tr. 13. d. 2. p. 34. num. 3.* &c. vide me *loc. cit.* Item in casu, ubi potestas, quam privatè ad Episcopum ex consuetudine habebat Capitulum corrigendi excessus Capitularium, ob negligentiam illius devoluta est ad Episcopum, ut deciditur *c. irrefragabili. de off. jud. ordinar.* & Fagn. *ibidem. num. 18.* hic adhuc procedere debet contra delinquentes cum consilio vel consensu Capituli, seu reliquorum Capitularium. Cum, etsi Capitulum ob suam negligentiam perdidit jus corrigendi, quod habebat de consuetudine, non tamen perdidit jus præstandi consilium, quod habebat de jure communi Fagn. *in cit. c. irrefragabili. §. excessus. num. 16.* quem vide pluribus *num. seq.* ac præcipuè *num. 26.*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

2. Resp. secundo: E contra tenetur exquirere consilium Capituli in rebus arduis & majoris momenti, dum non est consuetudo aut causa rationabilis non exigendi illud. Laym. *ib. mor. l. 1. tr. 4. c. 7. num. 9.* & Canonista communiter *in c. novit. & in c. quanto.* Et sic in specie debet illud exquirere in institutione & destitutione personarum ecclesiasticarum. V. g. Abbatum & Abbatissarum (quin & in provisione præbendarum & collatione beneficiorum Ecclesiarum Cathedralis, ut Barbof. *in cit. c. novit. num. 1.* Pirh. *h. t. num. 17.* aut etiam, ut Reginald. *in pr. for. penit. l. 10. tract. 3. num. 239.* apud Barbof. *loc. cit. num. 2.* beneficiorum majorum Ecclesiarum inferioris) ita, ut institutio & destitutio sine requisito Consilio facta sit nulla, & quidem ipso jure juxta *cit. c. novit.* junctâ Gl. final. *ibidem.* Idem est de tractandis negotiis aliis Ecclesiarum suarum juxta *c. quanto. h. t. ubi*; *Fraternitati tue mandamus, quatenus in concessionibus & confirmationibus, & aliis Ecclesiarum negotiis fratres tuos requiras, & cum eorum consilio vel senioris partis eadem peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt, statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipis & evellas &c.* Et quidem contra quæ jura agit Prælatus, non tantum in his procedendo cum consilio aliorum præteritis suis Capitularibus, sed & simpliciter non requirendo consilium Capitularium, etsi non adhibeat alios in consilio. Et magis adhuc in specie, Episcopum in erigenda nova parochia intra fines alterius teneri adhibere consilium Capituli, tradunt Host. *in c. audientiam il. primo. num. 2. de Ecclesiis edific.* Jo-And. *ibid. numer. 2.* Butrio, Cardin. & alii apud Fagn. *in idem c. numer. 50.* Verum non sufficere consilium, sed etiam requiri consensum, tenet ipse Fagn. cum aliis, de quo paulò post. Olim quoque in alienationibus rerum Ecclesiasticarum necesse adhibere consilium Capituli, quod non erat decisivum sed consultivum tantum. Pirh. *h. t. num. 1.* citato Suar. *Tom. 4. de relig. l. 2. c. 27. num. 9.*

**Quest. 106. An dum jura vel etiam consuetudo exigunt requisitionem consilii, Episcopus aliusve Prælatus illud sequi teneatur?**

**R**esp. Non tenetur sequi consilium, sed satisfactum præcepto petitione consilii & expectatione responsi congruo tempore. Abb. *in cit. c. quanto. num. 5.* ubi etiam, quod, si Capitulum petiit consilium dare noluerit, valeant acta à Prælato sine illo, si contra illa aliud nihil rationabile opponatur. Fagn. *in c. cum ex eo. de Reliq. & venerat. SS. numer. 20.* Referens, sic sæpius responsum à S. Cong. Concil. Gonz. *in Reg. 8. Cancel. gl. 46. num. 61.* Pirh. *h. t. num. 18.* cum communi contra Pasqual. *controvers. inter Episc. & Regular. p. 1. qq. 22. num. 408.* Non tamen propterea frustra exigitur consilium, & illud in certis casibus adhiberi mandarunt jura; cum vel sic occurratur præcipitantiæ Prælati, isque auditis rationibus ad tractandum maturius & cautius negotium disponatur, ac sæpè ad statuendum prudentius & utilius, quam sine illo statuisset, moveatur.

H

Quest.

*Quest. 107. Consensus Capituli, ubi requiritur, qualis esse debeat?*

**R**esp. Primò: Debet esse præstitus à Capitularibus legitime in unum congregatis. Cum enim singuli seorsim sumpti non faciant Capitulum. Argum. c. unio. ne Sede vac. in 6. etiam consensus singulorum non est consensus aut Decretum Capituli vel Conventus. Delb. de immunit. eccl. p. 2. c. 17. du. 9. in resol. difficult. num. 9. Laym. in disp. Can. de reb. eccl. alienand. Th. 15. Pich. h. t. num. 2. Wiestn. h. t. num. 8. Host. & alii apud Sylv. v. alienatio q. 5. cum communiore contra eundem Sylv. Valq. de reditib. c. 2. §. 2. du. 12. num. 42. Tambur. de jure Abb. Tom. 3. d. 13. q. 4. num. 7. Bonacin. & alios censentes, quod consensus etiam seorsim præstitus à Capitularibus sit verè consensus Capituli. Sed neque verum est, ut volunt hi AA. quod consensus simul congregatorum sit proprius electionibus; cum etiam ad alios actus universitatum & collegiorum requiratur consensus collegialis seu collaudatio, hoc est, ut omnes simul juncti laudent & approbent actum; adeoque toties, quoties jura requirunt consensus Capituli, conventus, communitatis, de hoc consensu membrorum illius, in unum congregatorum intelligenda, ita ut non sufficiat ad validitatem actus consensus à singulis seorsim membris exquisitus & præbitus. Atque ita rectè statuerunt jura; cum alias, si actus. V. g. alienatio suffragii singulorum seorsim rogatis discerni posset, minus sepe liber, aut etiam communitati. V. g. ecclesie monasterio &c. noxius evaderet; Prælati seu superiore hæc omnia facilius obtinent in favorem sui & juxta voluntatem suam decerni.

2. Resp. Secundò: Debet esse præstitus à majore parte Capituli congregati seu Capitularium in Capitulo præsentium, sufficitque talis consensus, nulla habita ratione absentium. Quod enim major illa pars agit, Capitulum totum egisse censetur, trahente, pro ut debet, majore parte ad se minorem. c. 1. h. t. Abb. ibid. num. 5. Molin. de just. tr. 2. d. 468. num. 6. Delb. l. c. num. 6. & 7. Pich. l. c. Quod tamen ut procedat, requiritur, ut major pars sit simul sanior. Arg. cit. c. 1. dum ibi dicitur disjunctivè: *majoris vel sanioris partis*. Sed de hoc ex professo tit. seq. De cætero quandomam consensus ille debeat esse expressus, & quando tacitus sufficiat, dicitur melius ad *quest. seq.* hoc tamen hic notandum, quod, dum consensus ille vocatur c. 1. h. t. collaudatio, venit consensus expressus. Delb. l. c. num. 5. citatis Abb. Molin. Less. Bonac. Valq. &c.

*Quest. 108. In quibus generatim necessarius sit, vel non sit consensus Capituli, & in quibus ejus ommissio præjudicet ecclesie?*

1. **R**esp. Primò: Consensus Capituli Episcopo aliisque Prælati necessarius est, ita ut non sufficiat adhiberi consilium, in omnibus, in quibus ecclesie obligatio aliqua notabilis imponitur. V. g. ex deposito, fidejussione, mutuo, donatione, ut dicitur amplius in propriis eorum titulis. Item in omnibus negotiis, in quibus ecclesie & successoribus notabile præjudicium generari potest, quæ ad Prælatum & Capitulum simul spectant, aut hujus specialiter intereunt. Abb. in c. novit. h. t. n. 7. Laym. tr. de jurisdic. ordinar. num. 83. & th. mor. L. 1. tr.

4. c. 7. num. 2. Barbos. tr. de Can. & Dignit. c. 42. num. 14. ita ut in bonis patrimonialibus juribusque ad Prælatum in particulari spectantibus, neque consensus, neque Consilium Capituli necesse sit requiri. Uti etiam in minoribus negotiis, seu non valde notabile præjudicium creatibus Capitulo aut successoribus; præscindendo à consuetudine in contrarium consensus ille necessarius non est. Engels. h. t. num. 5. Vallens. num. 2. Wiestn. num. 26. Dico: præscindendo à consuetudine: quemadmodum enim alicubi vigere potest consuetudo legitime præscripta juri communi contraria, ut etiam in negotiis arduis Prælati procedere possit sine consensu Capituli, ut citati AA. ita etiam è contra vigere potest consuetudo, ut etiam in minoribus præjudicii negotiis hic consensus sit necessarius. Estque talis consuetudo, tam stans pro libertate Prælati, quam pro necessitate consensus etiam in minoribus diligenter attendenda, præsertim ubi ex rationabili causa introducta. Reiffent. h. t. num. 25.

2. Resp. Secundò: In iis, quæ jure devolutionis agit Episcopus, consensus Capituli requirere non tenetur. Sequitur ex dictis; si enim in iis necessarium non est consilium, multò minùs necessarius est consensus Capituli, juxta limitationem tamen datam de consilio.

3. Resp. Tertiò: In iis, in quibus procedit Episcopus autoritate delegata, non eget consensu Capituli. ut Abb. Cardin. Anchar. apud Fagn. in c. ad audientiam. il. primo. de eccl. adific. n. 53. Siquidem Episcopus qua delegatus Sedis Apostolicæ nullam cum Capitulo habet communicationem. Distinguit tamen hoc ipsum Fagn. n. 54. ut procedat, dum Episcopus agit speciali jure specialis delegationis seu vi & potestate delegationis sibi hic & nunc specialiter delegata. Secus, si procedat jure ordinario delegationis, hoc est, potestate sibi constanter pro certis causis delegata à Papa vel vigore Concilii Tridentini.

4. Resp. Quartò: Ommissio consensus Capituli, seu actus à Prælati gestus sine eo in bonis ac juribus jam acquisitis nocere & præjudicare ecclesie seu conventui nequit. V. g. alienatio eorum quia talis actus sine consensu Capituli gestus est invalidus & nullum effectum habet. E contra nocere potest in rebus quærendis. V. g. repudiatio donationis oblata ecclesie facta sine consensu Capituli; quia talis renunciatio Prælati solius sine consensu Capituli valet, & hinc notet. Gl. in c. ult. 16. qu. 6. Legistæ in L. jubemus. Abbat. & Canonistæ, in c. tua. h. t. & alii quos citat & sequitur Laym. th. mor. l. 3. tr. 4. c. 10. num. 6.

*Quest. 109. An & qualiter requiratur Consensus Capituli ad alienationem rerum Ecclesie?*

1. **R**esponder primo ad quætionem in genere sub distinctione cum Abb. Joan. Andr. Cardin. Imol. & aliis à se citatis Fagn. in c. pastoralis. h. t. num. 10. ad alienationem, quæ fit ex necessitate juris, seu quam jus fieri præcipit, non requiri consensus Capituli; secus ad alienationem voluntariam, qualem adhuc esse dicit alienationem, quæ fit citra tale præscriptum juris, etsi alias fiat ob necessitatem vel utilitatem ecclesie. Alienationis necessaria exemplum ponit; dum Episcopus construxit ecclesiam, ad quam dotandam quia tenetur juxta c. cum sit. de consecrat. eccl.;

ecclesiæ. Potest ad hoc impendere quinquagesimam partem reddituum Ecclesiæ Cathedralis sine consensu Canonico. Et hanc distinctionem seu theoriam servati in Curia probat ex responso S. Cong. Concil. De cætero loquendo de alienatione in sensu jam explicato voluntaria.

Resp. Secundò: Ad alienationem rei ecclesiasticæ, immobilis, aut mobilis pretiosæ, quæ servando servari potest, siue ea sit Ecclesiæ Cathedralis, siue collegiata, siue conventus religiosorum aliorumve clericorum beneficiorum ecclesiæ parochialis habentes plures beneficiatos, requiritur consensus Capituli, conventus, collegii, c. sine exceptione. 12. quæst. 2. c. irrita. c. tua. b. t. c. ut super de reb. eccles. non alien. Delb. l. c. p. 2. c. 17. du. 9. in resol. difficult. num. 3. & quos citat Molin. de iust. tr. 2. d. 468. Valq. de redit. c. 5. §. 2. du. 14. num. 42. Et si res est Ecclesiæ Cathedralis, requiritur consensus Canonico Capitularium, etsi sint beneficiati in eadem Ecclesia Pirh. b. t. num. 3. Idem dicendum videtur de clericis seu beneficiatis in ecclesia collegiata, si non sint de Capitulo illius, in inferioribus autem ecclesiis requiritur consensus clericorum illius ecclesiæ. Pirh. loc. cit. citans Abb. in c. 1. b. t. num. 5. Porro consensus debet esse à Capitularibus collegialiter seu simul congregatis juxta dicta quæ ante hanc penult. & quidem expressus, ita ut tacitus seu præsumptus non sufficiat. Argum. c. 1. b. t. ubi consensus ille vocatur collaudatio, quæ approbationem simul congregatorum significat. Less. de iust. l. 2. c. 24. num. 63. Pirh. b. t. num. 2. Delb. l. c. num. 5. citatis, Abb. Valq. Molin. ubi ante. Quod tamen de consensu expresso distinguunt alii: nimirum ut is requiratur ad alienationem rei ecclesiasticæ, quæ nomine ecclesiæ in perpetuum, puta per donationem, venditionem, commutationem, vel ad longum tempus quo ad dominium utile. V. g. per locationem, alienatur; sufficit verò consensus tacitus & præsumptus ex scientia & taciturnitate Capituli ad similem alienationem, seu concessionem domini utilis ad breve tempus, puta, infra decennium, Arg. c. 2. b. t. Abb. ibidem. num. 6. Covar. l. 2. var. c. 16. num. 1. Pirh. b. t. num. 11. Laym. in disp. can. de reb. eccles. alien. c. 2. num. 22. Oliva. for. eccl. p. 2. q. 43. num. 45. Redoan. de reb. eccl. non alien. du. 25. num. 17. Requiritur quoque, ut consensus ille sit præstitus prævio tractatu, & quidem diligente & solenni, habito cum Capitularibus in unum congregatis, quo Prælati cum Capitulo seu conventu de proposita rei alienatione, num ea sit necessaria, vel ecclesiæ aut monasterio utilis futura, deliberat juxta c. sine exceptione 12. q. 2. §. c. 1. §. quia etiam de reb. eccl. non alien. in 6. Delb. l. c. num. 11. Pirh. b. t. num. 4. Wiestn. num. 2. Sufficere autem unum tractatum; cum citati textus loquantur in singulari numero, & nullibi in iure sit mentio de pluribus (etsi quandoque consultum, institui plures tractatus, dum alienatio est majoris momenti, ejusque utilitas non ita evidens) teneat Abb. in c. tua nuper. b. t. num. 3. Franc. in c. 1. b. t. num. 9. Covar. l. c. c. 19. num. 1. Redoan. l. c. rub. 24. num. 28. Wiestn. num. 3. Hic tamen tractatus non requiritur ad alienationem in rebus modicis, Innoc. in c. 1. de reb. eccl. non alien. num. 3. Laym. l. c. num. 23. Pirh. b. t. num. 4. Sed neque in his ipsum consentum, multoque minus expressum, requirit Arg. c. ceterum de donatione & Can. terrulas. tradunt cum Innoc. Rebuff. de decimis. q. 5. num. 34. Reiffenst. b. t. num. 14.

2. De cætero alienatio facta à Prælati sine consensu Capituli, multoque magis eo reclamante, est irrita, & à successore non servanda. Delb. l. c. n. 12. Pirh. l. c. Barbos. in c. 1. b. t. n. 1. cum communi. & patet ex eod. c. 1. 2. §. 5. Quod si verò ob bellum aliamve causam urgentem Capitulum absit, Prælati debere loco Capituli substituere alios clericos, quibuscum tractet, & consulat de re alienanda, & eorum consensu requisito & obtento, & non aliter rem alienare, cum Abb. b. t. n. 7. & Molin. l. c. tradit Delben. l. c. n. 12. Et si ecclesia collegiata vel conventualis est, aut careat Capitulo, potest ejus Prælati exigente necessitate aut evidente utilitate, rem etiam immobilem, accedente autoritate Episcopi alienare; cum hujusmodi Rector solus cum dicta autoritate possit, quod Prælati in ecclesia collegiata vel conventuali cum Capitulo. Imol. in c. 1. de dolo. n. 7. Abb. ibid. num. 28. Redoan. l. c. num. 46. quos citat & sequitur Wiestn. b. t. num. 4.

*Quest. IIO. An etiam requiratur consensus Capituli Cathedralis, aut saltem ejus consilium in alienatione rei pertinentis ad ecclesiam inferiorem?*

Resp. Præter consensum clericorum talis ecclesiæ, si plures præter Prælatum habeat, & præter consensum etiam Episcopi requiritur consensus Capituli Cathedralis & tractatus cum eo, si Episcopus est principalis auctor alienationis, idque ne alias tam facile alienentur bona illius ecclesiæ, Delb. l. c. n. 25. juxta c. 1. de reb. eccl. non alien. remittens ad Abb. Molin. Riccium. Sed de hoc ex professo infra ad tit. 13.

*Quest. III. An & qualiter alienationem factam sine consensu Capituli, aut etiam eo contradicente, Capitulum ex post ratihabendo validam reddere possit?*

Resp. Potest Capitulum, etiam quod prius contradixit, ex post præbere suum consensum factæ à Prælati alienationi, & hac ratione ratam habendo reddere validam. c. cum nos. b. t. gl. ibid. v. ratam. & Barbos. n. 1. Pirh. cit. n. 4. ubi etiam cum Host. in idem. c. quod ratihabito subsequens habeat se per modum mandati, & retrotrahatur ad tempus præcedentis alienationis, Delb. l. c. ubi quod alienatio tunc rata sit à tempore tantum, quo eam ratam habuit Capitulum; quia à tunc tantum adfuit ad alienationem requisita. Declarat hæc Pirh. exemplo alienationis feudi, cui ex post supervenit consensus Domini ad eam requisitus, eandem ratificando, reddidit absolute validam, & utrumque obligantem. Quod si autem quæratur, an igitur alienatio facta sine consensu Prælati, superveniente dein una cum tractatu consensu Capituli ab initio non fuerit valida; respondet Abb. in c. cum nos. n. 5. fuisse ab initio invalidam, & solum ex eo tempore, quo supervenit consensus Capituli incipere esse validam. Atque ita non per solum tractum temporis reddi validum, quod à principio fuit invalidum (quod est contra regul. jur. 18. in 6.) Sed per supervenientem consensum expressum vel tacitum. Quam doctrinam sectatus videtur Delb. paulò ante citatus, eamque veram cum Suar. Tom 4. de relig. l. 2. c. 27. n. 20. dicit Pirh. b. t. n. 5. si alienatio facta sine solennitatibus extrinsecis sit omni jure, etiam naturali & in conscientia irrita, ita ut per illam dominium non transferatur. Si tamen (ut teste Pirh. habet sententia valde probabilis) alienatio (uti & omnis alius contractus vel actus, ut in genere docent Nav. Tom. 1. in commentar. de

rer. eccles. alien. num. 17. & Sylv.) in qua interverunt ea, quæ ad ejus substantiam requiruntur, puta, mutus consensus, causa necessitatis vel utilitatis ecclesiæ, nullaque fraus commissa, neque facta laico, subsistat spectato jure naturali, ita ut tuta conscientia ab eo, cui facta, retineri possit, donec beneficio juris vel per sententiam rescindatur; licet spectato jure positivo non subsistat ob omisam hoc jure requisitam solemnitate, poterit dein superveniente ex post ea solemnitate, V. g. consensu Capituli (qui spectato solo jure naturali ad substantiam alienationis rei ecclesiasticæ non pertinet) ita omnimodè confirmari alienatio aliisvè actus, perinde ac si ab initio etiam, jure positivo valisset. Argum. *L. unic. C. de contract. judic.* ita fere Pith. citans Laym. *ubi supra num. 24.* Atque ita in hoc sensu rati habitio seu consensus ex post præstitus dici poterit retraheri ad tempus factæ alienationis. vide me *in for. benef. p. 2. qu. 780. num. 4.* ubi citatis pro hoc Gonz. Paris. Lambert. &c. quod regulariter loquendo consensus sequi possit, ita ut actus sit validus, ac si a principio intervenisset; nisi consensus requiratur formalis seu autorizabilis & pro forma; tunc enim, nisi in ipso actu concurrat, actus eo subsequente, non convalescit, uti etiam non convalescit, si actus ob defectum consensus omni jure sit irritus.

*Quæst. 112. An & qualiter præter consensum ad alienationem rei ecclesiasticæ requiratur subscriptio Capituli?*

**R** Esp. Subscriptio Capituli seu conventus ita est necessaria, ut nisi fiat, alienatio sit irrita juxta *c. 1. & 8. h. t.* Universalis tamen hæc regula, ut volunt aliqui, non est ita ut ad omnes actus & contractus alienativos rei ecclesiasticæ requiratur scriptura & subscriptio; cum potius generalis regula stet in contrarium, nimirum ad substantiam pacti vel contractus non requiritur scripturam, etiam de jure positivo (jure enim naturali constat, sufficere ad quamlibet conventionem, adeoque etiam ad eam, quæ res alienantur, consensum contrahentium) *L. pactum. C. de pactis.* nisi id specialiter in jure exprimitur. Sed solum procedit responsio de tribus hæc alienationis speciebus; venditione, donatione, permutatione; quippe de quibus citati textus tantum meminerunt. Idque ex ea ratione, quod hi tres actus sint magis propriè dictæ species alienationis utpote per quos non tantum jus aliquod utile, sed ipsum dominium directum in perpetuum in alium transfertur. & ita tradunt Abb. *in c. 1. h. t. num. 5.* Molin. *de just. l. c. d. 468. num. 7.* Redoan. *l. c. rub. 29. num. 1.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 1. quæst. 4.* Delb. *l. c. num. 25.* & seq. Pith. *h. t. num. 3.* Porro consuetudo plurimum locorum obtinuit, ut etiam in venditione, donatione, permutatione subscriptio fiat, non manu propria singulorum Capitularium alienationi consentientium; sed ut sufficiat eam fieri manu Notarii publici in instrumento de adhibito tractatu & obtento consensu Capitularium testificantis. Bonac. *d. 13. de contract. qu. 8. p. 4. num. 7.* Pith. *l. c. Delb. l. c. num. 28.* Wiestn. *h. t. num. 12.* citantes Molin. Less. Tambur. *de jure Abb.* Necessarium autem est, ut in eo instrumento Notarii manu confecto exprimentur singulorum Capitularium nomina; sed satis est, ut dicat Notarius factam alie-

nationem de consensu majoris partis Capituli, quin & simpliciter dicatur, consensisse Capitulum; præsumi debere, quod major pars consensit; cum præsumendum Notarium tanquam juris peritum, usurpasse verba juxta veram significationem juris; non posse autem juridicè & propriè dici Capituli consensum, nisi major pars presentium legitime congregatorum consenserit, ait Pith. *loc. cit.* Quod si autem Notarius adhibitus non fuit, solet in instrumento alienationis opponi Sigillum Capituli una cum subscriptione Præsulis, Senioris & aliorum, saltem nomine colectivo designatorum. Abb. *inc. quanto. num. 7.* Et si consuetudo est, ut omnes Capitulares subscribere debeant, id intelligendum de solis præsentibus, ita ut absentium nomina neutiquam inscribantur. *c. in. de consuetud. loc. cit.* Quin etiam de consuetudine in locis pluribus nullam requiri subscriptionem, testatur Delb. Et inesse hanc vim abrogandi etiam omnimodam subscriptionem ex eo patet, quod ea, uti & aliæ solemnitates extrinsecæ alienationi alterivè contractui originem & necessitatem ducant à jure humano, contra quod præscribere posse consuetudinem legitimam, habet communis. *c. in. de consuetud. l. de de quibus. ff. de LL. de hac consuetudine non subscribendi à Capitulo alienationi rerum ecclesiasticarum vide fufus tractantem. Wiestnerum. h. t. s. num. 12.*

*Quæst. 113. An & qualiter requiratur consensus Capituli ad erectionem novæ Parochiæ, Monasterii, Canoniciatus vel dignitatis?*

**R** Esp. Ad primum: Episcopus non tantum consilium Capituli sui Cathedralis, ut volunt Host. Joan. And. Butr. &c. apud Fagn. *ad c. ad audientiam il. primo de eccles. adific. num. 50.* sed & consensum illius adhibere tenetur in erectione novæ parochiæ intra fines alterius parochiæ. cum hæc divisio parochiæ & dismembratio reditu ad matricem ecclesiam pertinentium sit quædam alienatio rerum ecclesiæ. Fagn. *loc. cit.* His non obstante, quod facultas constituendi novam parochiam dicatur à Trident. *Sess. 21. c. 4.* concessa Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis. Ad hoc enim responsum est supra *qu. ante hanc §.* nimirum quod instructus duplici potestate, ordinaria & delegata, si procedat potestate seu jure ordinario delegationis, adhuc indigeat consensu Capituli; secus tamen, seu non egeat illo, ubi procedit speciali jure delegationis, in casu nimirum, in quo jure ordinario procedere nequit. Atque ita non egebit consensu Capituli in erectione novæ parochiæ intra fines parochiæ subjectæ regularibus exemptis, quam facere non potest jure ordinario, potest autem facere jure speciali delegationis. Ea ratione, quod sicut Papa non restringitur ad hunc consensum exquirendum, ita nec ejus vices gerens seu Delegatus. Egebit è contra consensu Capituli in erectione tali intra fines parochiæ non exemptæ. ita Fagn. *l. c. num. 54.* citatis Bellam. & Matian. Socin.

**2.** Resp. Ad secundum: Quidquid sit de eo num sicut olim poterat, sic & hodieum possit ecclesiam parochialem concedere monasterio cum consensu Capituli, non obstante Trident. *Sess. 24. c. 13.* quod Fagn. *in c. pastoralis. h. t. num. 5. in fine.* negat; negare quoque videtur Pith. *h. t. n. 10.* ed quod licet ex eo, quod Papa *cur. c. pastoralis.* dicat non posse

posse Episcopum concedere dictas ecclesias religiosi, inferri posse videatur à contrario id eum posse cum consensu; non tamen valeat argumentum à sensu contrario, dum id, ad quod fit argumentum, expressè in jure prohibuitur, uti prohibetur dicta concessio *in c. prohibemus. de censibus.* quidquid, inquam, sit de hoc, illud indubitatum; non posse Episcopum ecclesiam Parochialem, aut etiam ejus obventiones seu proventus, etiam congrua sustentatione reservata illius Rectori aut Vicariis, etiam cum consensu patroni, si quem habet, concedere religiosi seu monasterio sine consensu Capituli sui. Barbos, *in cit. c. pastoralis. num. 1.* Pith. *h. t. num. 9.* eo quod talis concessio sit species quædam perpetuæ alienationis & hæc juxta expressam textum *cit. c. pastoralis.* dum ibi dicitur, quod neque totam ecclesiam, neque de novo aliquam ejus portionem conferre possit religiosi, nisi de licentia Romani Pontificis præter Capituli sui voluntatem. Quod attinet ad partem quinquagesimam reddituum, de qua in *eodem Cap.* fit mentio per modam exceptionis his verbis; salva constitutione canonica de concedenda piis locis quinquagesima portione: quam monasterio, quod de novo fundatur, aut etiam partem centesimam, quam ecclesiæ jam constructæ in regularem convertendæ, si in ea suas sepulturas construere intendit, potest Episcopus assignare juxta *c. bona rei. 12. q. 2.* si non ex redditibus etiam ecclesiarum parochialium sibi subjectarum, ut volunt aliqui apud Fagn. *l. c. num. 7.* saltem ex bonis & fructibus pertinentibus ad mensam episcopalem & ecclesiam cathedralem, aut etiam ex solis fructibus mensæ episcopalis, ut pluribus citatis vult Fagn. *l. c. num. 8.* Hanc, inquam quinquagesimam aut etiam centesimam posse sine consensu Capituli Episcopum piis locis assignare, ait Pith. *h. t. n. 10.* eo quod Papa in *cit. c. pastoralis* postquam dixisset Episcopum non posse ecclesiam parochialem aut portionem reddituum ipsius concedere piis locis sine consensu Capituli, excipiat dictam quinquagesimam. Verùm Papa non excipit eam in ordine quod possit dari sine consensu Capituli; sed simpliciter in ordine, quod possit dari. Hinc alii è contra contendunt, sine consensu Capituli sui non posse illam concedere Episcopum. Distinguit Hofst. in *cit. c. pastoralis.* apud Fagn. *num. 9.* ita ut, si velit eam concedere ex redditibus Capituli separatis, necessarius sit ejusdem consensus; secus; si velit dare ex redditibus propriis, non communibus ei cum Capitulo. Alii aliter distinguunt, ita ut, ubi jura non tantum permittunt, sed etiam jubent concedi dictam portionem reddituum (uti contingit in assignatione illius centesimæ portiois ecclesiæ jam constructæ; quia ad illam dotandam tenetur juxta *c. cum sit. de consecrat. eccl.*) concessio illa fieri possit sine consensu Capituli; secus si jura illam solum permittant. Hanc sententiam ultimam tenent Abb. in *c. pastoralis. num. 4.* Butr. *num. 11.* Gonz. in *c. Apostolica, de donat. num. 4.* & alii, quos citat & sequitur Fagn. *l. c. num. 10.* & 11. item Wiestn. *h. t. num. 24.* huic principio generali innixi quod omnes alienationes in hoc sensu necessarias, quod eas jura fieri præcipiant, facere possit Prælati sine aliis solemnitatibus (adcoque & sine consensu Capituli) etiam non obstante juramento de non alienando, modò; ut addit, Butr. in alienatione non tangantur bona Capituli. Quod principium etiam probant hoc ex-

emplo; quod juxta responsum S. Cong. valeat venditio bonorum immobilium legatorum FF. minoribus, quam facere jubentur, pretio converso in usum fabricæ, facta sine ulla solemnitate, quia sit ex regulæ præscripto & *Extrav. ambitiosa de reb. eccl. non alien.* secus autem sit de alienationibus voluntariis, quales adhuc censentur, nisi fiant ob necessitatem vel utilitatis, citra tamen præceptum juris.

3. Resp. Ad tertium: consensus Capituli necessarius est, non tantum in erectione novi Canoniciatus aut dignitatis, ut Felin. in *c. cum venissent. de constit. num. 15.* sed etiam in applicatione alterius beneficii pro dote illius. Clem. 1. *de reb. eccl. non alien.* & ibi Gl. & DD. verùm de dicta applicatione & unione paulo post plura.

**Quest. 114. An & qualiter requiratur consensus Capituli ad beneficia & collationem eorundem?**

Resp. Dum præsentatio vel collatio privativè spectat ad Episcopum aliumvè Prælatum, etiam de consuetudine & privilegio, is ad eas faciendas non eget consilio aut consensu Capituli, nisi fortè nihilominus fieri debeant dependenter ab eo. V. g. ex institutione seu mente fundatoris, in quo casu, ut Pith. *l. c. num. 7.* sufficit consensus tacitus Capituli, nimirum scientis à Prælato talem actum fieri & non contradicentis, cum tamen posset contradicere & actum impedire. Si verò institutio, electio, collatio simultancè spectent ad Prælatum & Capitulum seu conventum, requiritur consensus Capituli, & sine illo facta sunt irrita, seu firmitatem nullam habent, *c. ea noscitur. h. t. Barbos. ibid. n. 1.* Wiestn. *h. t. num. 19.* citans insuper Garc. *de benef. p. 5. c. 4. num. 17.* dum autem *cit. c. ea noscitur.* jubentur istiusmodi præsentationes, collationes evacuari, non significatur per hoc; præsentationem collationem esse per sententiam irritandam, ut volunt, Hofst. in *cit. c. num. 2.* Card. *ibid. num. 2.* sed pronuntiandas vacuas & irritas, uti sunt ipso jure. Lambert. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 2. c. 12. num. 6.* Sanch. in *præcep. decal. Tom. 2. l. 7. c. 14. num. 8.* quos citat Barbos. in *cit. c. ea noscitur. n. 5.* Wiestn. *l. c.* Et quidem requiritur consensus expressus, siquidem in hujusmodi actibus legitimis, quales sunt præsentatio, collatio, electio, qui verbis vel scripto celebrari seu expediri solent, consensus tacitus defectum consensus expressi supplere nequit. Pith. *cit. num. 7.* Porro in collatione aut præsentatione, dum proceditur per suffragia, suffragium, Episcopi seu Prælati solius tantundem valet, quàm suffragium totius Capituli seu majoris partis illius Felin. in *c. pastoralis. de rescrip. §. fin. num. 9.* Gonz. ad *reg. 8. gl. 45. num. 51.* Lotter. *l. 2. q. 21. num. 36.* Paris. *l. 2. q. 23. num. 39.* C. de Luc. *de benef. d. 1. num. 29.* Wiestn. *h. t. num. 20.* Quod si autem in collatione aut præsentatione discordent, Capitulumque uni & Prælati alteri conferat beneficium, neutra collatio valet, etsi aliqui Capitulares Prælati adhaerere, modò remaneat pars major Capituli in contrarium. Abb. in *c. cum ecclesia, de elect. num. 11.* Pavin. *de potest. capit. præbud. §. num. 3.* Mandos. in *reg. 14. num. 2.* Lotter. *l. c. num. 4.* Garc. *p. 5. c. 4. num. 29.* C. de Luc. *l. c. d. 28. num. 16.* Porro non obstat huic necessitati requirendi & obtinendi consensus Capituli in præsentatione & collatione. *c. ex literis. jurep. ubi*

dicitur, quod Abbatissa sine conventu presentaret clericum ad beneficium. Quia ibi tantum factum narratur, non autem deciditur presentationem illam valuisse. Vel, ut melius Sanch. Gonz. Barbos. apud Wiestn. cit. num. 20. non dicitur, quod sola presentaret, unde presumi potest, illam presentasse cum consensu conventus.

*Quaest. 115. An & qualiter requiratur consensus Capituli cathedralis ad faciendam rescindendamque unionem beneficii unius cum alio?*

**R**esp. Ad primum: si tractatus, quo in Capitulo, quo disquiritur de necessitate unionis, ut vult Lotter. l. 1. q. 28. n. 153. negantibus idiplum Azor. Garc. Pavin. Rebuff. Barbos. Castrop. quos citavi pro hac negativa in foro beneficij p. 3. q. 913. Præter hunc tractatum necessarium requiritur consensus Capituli ad faciendam unionem ab Episcopo propter maximam conjunctionem Episcopi cum Capitulo, ratione cuius maioris momenti negotia exigunt tractari cum Capitulo, & de consensu illius expediri. Ita tenent cum communi Garc. p. 12. c. 2. num. 145. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Castrop. tr. 13. d. 6. p. 12. §. 2. num. Corrad. de benef. l. 2. c. 15. num. 67. C. de Luc. l. c. d. 45. num. 3. ita ut, omisa hac requisitione, consensus unio sit omnino nulla, etiam Capitulo nihil opponente. Garc. l. c. num. 166. & quidem requiritur consensus Capitulariter præstitus. Ventrigl. To. 2. annot. 8. §. 2. num. 2. nec sufficit tacitus, sed requiritur expressus, ut Idem. num. 4. citans Fusc. de visit. l. 2. c. 26. num. 5. contra Monet. de commut. ultim. volunt. c. 12. 251. Item requiri hunc consensum utpote de forma & substantia unionis, adhiberi in ipso actu unionis, & non sufficere eum subsequi, uti aliis, ut collatio beneficii jurispatronatus valeat, sufficit consensum patroni subsequi. astringit Castrop. l. c. num. 26. item Rebuff. Imol. Butrio. Burlat. quos pro hac sententia citavi in for. beneficij l. c. q. 914. num. 8. contrarium tamen tenentibus Garc. Azo. Rebuff. Hored. Sanch. & aliis apud Castrop. item Barbos. jur. eccl. l. 3. c. 16. num. 45. quorum sententiam communiorem fatetur, Castrop. qui quid ad exempla adducta in contrarium respondeat, vide apud me l. c. De cætero ampliatur quoque responsio primo, ut requiratur adhuc hic consensus, dum Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati concessa illis à Trident. hac facultate, unionem faciunt beneficii. V. g. Seminario; cum Concilium concedat illis facultatem hanc uniendo servatâ formâ juris, quæ inter cætera est, ut requiratur hic consensus. Garc. l. c. num. 157. & 158. Ventrigl. l. c. num. 13. Lotter. l. 1. q. 28. num. 155. contra Nav. & Zerol. Nisi tamen, ut ait Lotter. in forma scripti appareat hæc necessitas requirendi consensum remissa. Vel etiam juxta dicta à me supra ex Fagn. nisi forè delegatio unionis facta hic & nunc pro aliquo singulari casu, in quo non potest unire jure ordinario. Secundò, ut etiam, dum beneficium est jurispatronatus laici, post consensum patroni in unionem adhuc requiratur consensus Capituli. Ventrigl. l. c. num. 9. Tertio, ut is requiratur etiam in unionem beneficiorum simplicium facta dignitati aut præbendis ipsius Ecclesiæ Cathedralis. Etsi enim Episcopus unire nequeat beneficium mensæ suæ, aut etiam Capitulum præbere consensum suum in unionem faciendam mensæ

Capitulari juxta Clem. si una. §. fin. de reb. eccl. non alien. & Abb. ibid. num. 6. Garc. l. c. num. 168. Barbos. de can. & dignit. c. 42. num. 11. & c. cum in facto proprio & in favorem suum directè non possit Episcopus, aut etiam Capitulum autorizare, ut cum Gl. in clem. cit. v. mensæ suæ. AA. citati: potest tamen præstare consentium suum (& hinc is requirendus ab Episcopo) in unionem faciendam dignitati vel præbendæ suæ Ecclesiæ; quia aliud est Ecclesiæ Cathedralis dignitas vel præbenda, cui in virtute Concilii Trid. sess. 24. c. 16. fieri posse unionem beneficii simplicis, censuit Rota decis. 788. p. 1. divers. num. 4. apud Garc. l. c. num. 170. & Barbos. cit. num. 11. aliud ipsum Capitulum, in cujus favorem solùm consequenter & indirectè, non verò principaliter & directè cedit talis unio beneficii facta dignitati aut præbendæ, ut Ventrigl. l. c. num. 10.

2. Limitatur è contra responsio ita, ut Episcopus sine dicto consensu unire possit beneficia, dum sic habet consuetudo. Barbos. de can. & dignit. num. 42. citans Sanch. in decal. l. 7. c. 29. num. 169. Castrop. l. c. num. 25. Corrad. pr. beneficij l. 2. c. 15. num. 68. Garc. cit. c. 2. num. 152. citans alios contra Gl. in cit. Clem. si una. v. consentiente. Imol. Felin. Lancell. & alios. Consuetudinem debere esse immemoriam, aut quadragenariam cum titulo, tenent. Castrop. Barbos. LL. cit. Garc. num. 155. vide me l. c. num. 9. Limitatur item, ut Episcopus sine consensu Capituli procedere possit, dum illud sine causa justa eum negat; cum Episcopus ob contradictionem irrationabilem non sit privandus potestate sua uniendo, Castrop. cit. num. 25. citans Rebuff. Sanch. Socin. Addens tamen ex Sanch. quòd, si justa causa fuerit contradicendi Episcopo molienti unionem, etiam unius Capitularis contradictio sit sufficiens ad impediendam unionem.

*Quaest. 116. An Legatus Apostolicus de latere unire possit beneficia sine consensu Capituli Cathedralis?*

**R**esp. Id illum posse, dum unire ut Delegatus Papæ ex speciali hujus commissione, in qua non fit mentio de requirendo hoc consensu; utpote qui tunc supplet vices Pontificis, qui non habet opus requirere consensum Capituli, faciliè admittant omnes. Ventrigl. l. c. §. 2. num. 7. Barbos. jur. eccl. l. 3. c. 16. num. 46. Castrop. l. c. num. 24. citato. Sanch. ubi ante. num. 166. Dum verò unire potest sine consensu Capituli Cathedralis, eò quòd in uniendo beneficiis non habeat ampliorem potestatem quam Episcopus, teneaturque iisdem legibus ac iuribus, quibus ille, astringunt citati jam AA. in quorum sententiam inclinavi l. c. q. 915. contrarium, nimirum neque tunc Legatum egere consensu Capituli, æquè probabiliter, si non probabilius, ob rationem ab iis datam (nempe quòd nulla sit ei communicatio cum Capitulo, ratione cuius tenetur Episcopus in negotiis maioris momenti, adeoque & in unionibus beneficiorum faciendis tractare cum Capitulo, ejusque consensum requirere) tenent Fagn. l. c. num. 54. Garc. l. c. num. 150. & citati ab eo Pavin. de potest. cap. Sede vac. q. 3. p. 2. num. 19. Gamb. de potest. legati. l. 5. rub. 1. de pot. leg. in uniendo n. 58. Nav. Hojed. & alios. Idem tenere videtur Lotter. l. 1. q. 28. num. 159. dum ob eandem rationem, nimirum



Ob deficientem illam cum Capitulo communicationem, dicit eum non egere tractatu eum eodem in unione facienda. Ex quo sequi videtur, eum etiam non egere in hoc Capituli consensu, si aliunde ad hoc non teneatur; etsi aliàs absolute juxta dicta supra non bene inferatur; non eget tractatu, ergo neque consensu. Nihilominus, dum potestate sua ordinaria uniret beneficium aliquod. Eiusdem Cathedralis dignitati alicui ejusdem, videretur egere consensu Capituli Cathedralis, non quidem ob conjunctionem cum illo; sed quia talis suppressio, quae contingit in tali unione, vel maxime concernit Capitulum.

**Quest. 117.** An in unione beneficii Ecclesiae collegiatae, cujus collatio spectat ad collatorem inferiorem, requiratur consensus Capituli Cathedralis?

**Resp.** Ad hoc in *for. benef. p. 3. q. 9. 17.* ex Ventrigl. *l. c. §. 2. num. 14. & 15.* præter consensum dicti collatoris & Capituli ecclesiae collegiatae, alteriusve habentis collegium aliquod clericorum, requiritur adhuc consensus Capituli Cathedralis.

**Quest. 118.** An ad dissolutionem unionis & dismembrationem requiratur consensus Capituli Cathedralis?

**Resp.** Ad primum affirmativè, præsertim, dum unio facta dignitati aut præbendæ Ecclesiae Cathedralis. Videturque sequi ex eo, quod sicut qui potest unire (intellige potestate competente jure ordinario, sicut de potestate competente consuetudine vel ex privilegio; cum consuetudo, privilegium, præscriptio se non extendat ad contraria. Castrop. *de benef. d. 6. p. 12. §. 4. num. 4.* Azor. *p. 2. l. 6. c. 29. q. 5.*) potest etiam unionem dissolvere; cum per quas causas res nascitur, per easdem etiam dissolvatur. Castrop. *l. c.* Corrad. *l. c. c. 25. à num. 48.* ita etiam videtur dicendum, quod cujus consensus requiratur ad faciendam unionem ejusdem etiam consensus requiratur ad dissolvendam unionem, præsertim dum dissolutio cedit in dispendium illius, cujus consensus requiritur.

2. **Resp.** Ad secundum: ad dismembrationem ecclesiae parochialis seu reddituum ad matricem ecclesiam pertinentium (idem est de redditibus dignitatis alteriusve beneficii) requiritur dictus consensus; cum talis dismembratio sit alienatio quædam Ecclesiae. Fagn. *ad c. ad audiendam il. primo de eccl. adif. num. 15. juncto num. 50. & 51.*

**Quest. 119.** An & qualiter consensus Capituli requiratur ad suppressionem beneficiorum?

**Resp.** In suppressione Canoniciatum etiam collegiatae ecclesiae ob tenuitatem reddituum præter consensum illius collegiatae requiritur quoque consensus Capituli Cathedralis ita, ut illo deficiente, suppressio (quæ est extinctio tituli beneficii, per quam beneficium desinit esse in rerum natura, ejusque redditus, si quos habet applicantur aliis beneficiis vel piis locis) & unio illorum reddituum sit ipso jure nulla. Ventrigl. *Tom. 2. an-*

*not. 8. num. 19.* Castrop. *l. c. d. 6. p. 2. §. 9. n. 1.* Corrad. *l. c. num. 25. 26. & 30.* citans Monet. *de commut. ult. vol. c. 12. q. 6. num. 115.* requiritur enim tunc consensus Capituli Cathedralis tanquam solennitas & veluti forma; consensus verò ecclesiae collegiatae tanquam consensus personæ interesse habentis. Unde licet uterque hic consensus necessarius sit ad valorem suppressionis, posterior tamen, qui præstatur à persona ut interesse habente, ex post supervenire potest, prior verò, qui ut solennitas, adeoque pro forma adhibetur, necessario intervenire debet tempore suppressionis. Quare etiam, dum supprimuntur Canoniciatum vel beneficia ipsius Ecclesiae Cathedralis adeoque Capituli Cathedralis intervenire debet non tantum tanquam personæ interesse habentis, sed etiam tanquam solennitas formalis, intervenire debet tempore suppressionis. Vide me in *for. benef. p. 3. q. 969.* Porro licet aliàs consensus ad suppressionem requisitus intervenisse probari debeat, supponi tamen etiam id ipsum potest, ubi tantum tempus effluxit, quod faciat præsumere solennitates à jure requisitas intervenisse. Corrad. *l. c. num. 42.* citans Menoch. *l. 2. præsump. 75. num. 24. & n. 43.* assignat annos 30.

**Quest. 120.** Circa decimas concedendas Ecclesiae vel pio alicui loco quando requiratur consensus Capituli Cathedralis?

**Resp.** Circa hoc id ferè unicum hic dicendum, quod, si laicus decimas, quas justè ex antiquo, nimirum ante Concilium Lateranense obtinuit in feudum ab ecclesia seu Prælato ecclesiastico, restituere seu redonare velit eidem ecclesiae, poterit id etiam absque requisito consensu Episcopi juxta *c. cum Apostolica b. t.* adeoque multo magis sine consensu Capituli. Si verò eas alteri loco pio, monasterio vel ecclesiae, à qua eas non accepit, donare velit, quod potest (uti etiam id permittitur laico, qui eas injustè accepit ante Concilium Lateranense, & induci nequit, ut illas eidem ecclesiae, à qua injustè accepit, restitnat. Arg. *c. cum Apostolica*) requiritur necessario consensus Episcopi Diocesani juxta *c. Apostolica*, sine quo religiosi etiam exempti eas recipere nequeunt; nec etiam laicus quicquam de rebus ecclesiasticis (quale est jus decimarum) disponere potest, & probabiliter etiam consensus Episcopi vel Prælati ecclesiae, à qua acceptæ decimæ. Non tamen requiritur ad hanc donationem consensus Capituli Cathedralis; cum per illam non tam alienetur, quam revocetur res ecclesiastica de manu laici ad ecclesiam, saltem universalem, ad quam principaliter spectat jus decimarum. Less. *de just. l. 2. c. 39. num. 20.* Castrop. *ir. 2. d. 10. p. 9. num. 6.* Azor. *p. 1. l. 7. c. 36. q. 13.* Pirh. *b. t. num. 12. & 13.* juxta *c. cum Apostolica*. Major poterat esse dubitatio, num præter consensum Episcopi requiratur consensus Capituli, dum laicus justè possidens decimas in feudum, alteri laico concedit eas in feudum; quod eum posse (saltem accedente consensu Ecclesiae, à qua eas primitus accepit laicus) tenent Card. Jo. And. Sylv. Covar. Castrop. Laym. Pirh. à me citati in *for. benef. p. 1. q. 475. num. 3.* contra Abb. Less. & alios. In quo dubio pro negativa facere videtur, quod hæc non sit nova concessio feudi seu alienatio domini

utilis, sed alienationis legitimæ jam factæ continuatio. Pro affirmativa verò, quòd saltem in casu, dum laicus transferens decimas caret liberis & successore, adeoque feudo factò caduco decimæ necessàrio reversuræ sunt ad ecclesiam tanquam donainam directam, à qua eas acceperat laicus transferens ejusvè antecessores, tali alienatione crearetur magnum præjudicium ecclesie. Cui tamen rationi obstare videtur, quòd Episcopus vel Prælati ecclesie easdem, antequam illi incorporarentur, denuo concedere possit alteri laico, si ecclesie expedire videatur; idque absque eo, quòd necesse sit desuper requirere consensum Capituli Arg. Extrav. *ambitioso*; juxta quam res ab aliquo solita dari in feudum potest deinceps sine ulla solennitate à Prælato concedi & c. 2. de feudis, & ibi Gl. & DD. & ita tenet cum Covar. Laym. *ib. mor. l. 3. tr. 4. c. 10. num. 2.* Quin etiam nullo jure prohibeatur laicus justè possidens decimas in feudum alium subinfundare. Vide me de his l. c.

*Quest. 121. An & qualiter requiratur consensus Capituli in puniendis excessibus subditorum & ventilandis causis criminalibus etiam ipsorum Canonicorum Cathedralium?*

1. Resp. primò: Spectato jure communi in puniendis & corrigendis excessibus ab Episcopo requiratur consensus Capituli Cathedralis ita ut sine illo lata sententia Episcopi esset nulla, c. *Episcopus nullius* 15. *quest. 7.* & Arg. c. 1. de *excessib. Prælat.* ubi prohibetur, ne Episcopi Presbyteros sine judicio (id est, consensu, ut Gl. *ibid. v. Capituli*.) Capituli suspendere, aut eorum ecclesias interdico supponere attentent. Idem est de excommunicatione, utpote quæ est pœna gravior, ut citata Gloss.

2. Resp. secundo: Requiritur quoque consensus Capituli (intellige representati per duos ex eo Canonicos ad hoc circa initium electos juxta dispositionem Trident. *Sess. 25. c. 6. de reform.*) in tractandis causis criminalibus contra personas in dignitate ecclesiastica constitutas, vel etiam quæ sunt de ipso Capitulo Cathedrali alteriusve collegiata. Fagn. in c. *irrefragabili. §. excessus. n. 26.* ubi: recepta magis videtur opinio, ut in criminalibus (intellige, etiam Capitularium Cathedralium,) Capituli consensus requiratur per textum c. *Episcopus nullius.* & c. *si quid verò. dist. 68. junctâ Gl. fin.* & Gl. *unic. in c. si Episcopus. dist. 24.* & Gl. in c. *cum nos. h. t.* citat insuper pro hoc Innoc. in c. *grave. de præb. v. item secus. num. 5.* Felin. in cit. *§. excessus. num. 3.* &c. Quamvis addat hunc consensum Capituli non adhiberi tantum pro quadam solennitate, sed esse simul cum jurisdictione, quæ in puniendis excessibus Capitularium communis sit inter Episcopum & Capitulum, & hanc sententiam videri canonizatam à Trident. *loc. cit.* cujus tamen decretum loqui solum de Capitulis exemptis juxta declarationem S. Cong. quam refert Zerol. *pr. Episc. p. 1. v. Capitulum. §. 8.* tenent Barbof. de *Can. & dignit. c. 28. num. 2.* citans præter alios Seraph. *decis. 493. num. 1.* & apud Reiffenst. *h. t. num. 24.* Vallenf. *h. t. num. 5.* & Engels *num. 4.* qui exinde inferat, in aliis Capitulis non exemptis posse Episcopum propria autoritate contra singulares de Capitulo ad summum de consilio

aliorum procedere; cum non reperitur textus, in processu contra aliquos de Capitulo non exempto exigens consensum reliquorum.

*Quest. 122. An Prælati sine consensu Capituli renunciare possit hereditati vel legato rei immobilis & mobilis pretiose?*

Resp. Non convenire in hoc AA. affirmant cum Abb. in c. *tua. h. t. num. 8.* & Menoch. de arb. *jud. l. 2. cas. 171. num. 52.* Sanch. de *marim. l. 6. d. 4. num. 12.* apud Laym. *ib. mor. l. 3. tr. 4. c. 10. num. 7.* qui hanc sententiam dicit probabilem & communiorem. Item eandem tenent Zoëf. *ut. de reb. eccl. non alien. num. 7.* Barbof. de *potest. Episc. alleg. 95. num. 52.* Less. de *just. l. 2. c. 24. num. 65.* C. de Luca, de *donat. d. 23. num. 16.* Castrop. *To. 2. tr. 12. p. 15. §. 1. num. 11.* & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. *h. t. num. 39.* fuscè hanc sententiam propugnans. Ratio præcipua horum AA. est, quòd non interveniat vera & propria alienatio, quando repudiatur solum res, quæ nondum fuit ecclesie; juxta expressum textum, *L. alienationis. ff. de verb. signif. ubi: qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui hereditatem omittit aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur* &c. facit etiam pro hac sententia quòd dictum supra, nimirum quòd omisso consensu Capituli præjudicet ecclesie in acquirendis; quia actus sine eo gestus valet. Contrarium nihilominus, nimirum talem repudiationem sine consensu Capituli fieri non posse, & sic faciãam à Prælato esse invalidam, docent Bald. in *L. contra juris. §. 1. ff. de pactis.* Anchar. in c. *ut super de reb. eccl. non alien. num. 6.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 1. quest. 12.* hanc sententiam dicens probabiliorē. Quarant. in *summ. Bullar. v. alienatio rer. eccl. Molin. de contract. d. 468. num. 11.* Engels ad *tit. de reb. eccl. non alien. num. 9.* & alii apud Sanch. & Reiffenst. *LL. cit.* Quorum præcipua ratio est, quòd licet ante aditam hereditatem jus nullum in re seu dominium sit acquisitum ecclesie, sit tamen per oblatam hereditatem acquisitum eidem jus ad rem, cui Prælati sine consensu Capituli non videatur posse resignare; cum ejusmodi juris abdicatio quædam alienationis species in causâ favorabili ecclesie censei debeat. Insuper jus ad rem pariat actionem; cessio autem actionum fieri nequeat sine solennitatibus juris; quia est species alienationis bonorum. Arg. *L. bonorum. ff. de V. S. ubi: ecclesieque bonis annumerabatur etiam, si quid est in actionibus, petitionibus, præsentionibus; nam hæc omnia in bonis esse videntur,* &c. Ad quas rationes respondere conatur Reiffenst. *n. 47.* dicendo; hereditatem & legatum non nisi expresse aut tacite acceptatum tribuere jus ad rem, ac parere actionem personalem, quæ sine alienatione cedi non possit. Verum quid vetat dicere, tempore, quo in suspensio est acceptatio, seu quo hæres & legatarius de acceptanda & adeunda hereditate aut legato deliberat, jus ad rem, nempe ad hereditatem & legatum ei competere, quòd postmodum repudiata hereditate aut legato extinguitur; etsi hereditas aut legatum ipsum quòd ad jus in re pro tempore dictæ suspensionis & deliberationis censei nequeat fuisse hæredis aut legatarii, sed solum post acceptationem à die aditæ hereditatis aut legati. Unde etiam citati

citati textus juris civilis, quos contra hanc sententiam allegat Reiffenst. *num.* 40. non videntur satis efficaciter evincere intentum. Cum ex eo, quod jus adeundi hereditatem aut legatum, seu capiendi in iis possessionem (quod est ipsum jus in re, vi cuius capitur possessio,) dependeat ab acceptatione, & non nisi ab ea seu post illam nascatur, non videatur sequi, jus quoque ad rem, vi cuius acceptare potest, non nisi post acceptationem oriri. Quod etiam ex eo confirmari videtur,

quod, dum quis pessundat, quod alteri legatum, etiam ante acceptationem, legatario faciat strictè injuriam, privando illum hoc jure ad rem, utpote quod extinctione rei legatæ extinguitur. Huc quoque facere videtur textus *L. à Titio. ff. de furtis.* ubi dicitur; ea quæ legantur rectâ via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt. Intellegendum illum textum quod ad jus ad rem, etiam ante acceptationem; & quod ad jus in re non nisi post acceptationem. Verùm de his plura *ad tit.* 13.

## TITULUS XI.

### De his, quæ fiunt à majore parte Capituli.

*Quæst.* 123. *Nomine Capituli quid intelligatur?*

**R**esp. Nomen hoc usurpatur primò pro distinctione unius materia ab alia; & sic dicuntur Capitula decretalium. Secundò pro loco, in quo Canonici congregantur, resque ad eos pertinentes ab iis deciduntur. Tertio magis ad præsentem rubricam ejus appellatione venit universitas secularium vel regularium seu collegium certarum personarum ecclesiasticarum, certæ alicui ecclesiæ aut monasterio adscriptarum, in unum congregatarum seu collegialiter convenientium.

*Quæst.* 124. *Quanam igitur sint persone illæ certæ constituentes Capitulum?*

**R**esp. primò in genere: Non omnes, qui eidem ecclesiæ Cathedrali vel collegiatæ adscripti, illi deserviunt, constituunt Capitulum, seu sunt de Capitulo. V. gr. Capellani, Vicarii, portionarii, alique beneficiarii non Canonici, in celebratione Missarum choroque assistentes absque eo, quod vocem in Capitulo habeant, aut tractatibus communibus intersint, præciudendo à privilegio. Barbof. *de can. & dignit. c.* 37. *num.* 17. citatis Gl. *ad c. penult. de cler. non resid. v. assisos.* ubi, quod beneficiarii tantùm debeant servite ecclesiæ, non autem vocari ad communes tractatus item Abb. *ibid. num.* 9. Butrio *num.* 8. Cæsar. *de Graff. decis.* 4. *b. t.* ubi dicit, Capitulum habere intentionem fundatam de jure communi privativè ad beneficiatos, intellige, interessendi tractatibus communibus cum jure ferendi suffragii. Quin &, ut idem de Graffis. *loc. cit. num.* 14. & Rota *decis.* 370. *p. 5. recent. num.* 1. & 2. beneficiatis, cum in ecclesia sint ut singuli, interdicta de jure sit facultas se congregandi, sed soli Canonici constituunt Capitulum seu sunt capitulares. Abb. *in c. scriptum, de elect. num.* 4. Barbof. *loc. cit. num.* 15. citatis Rotâ, *decis.* 708. *p. 2. recent.* & juxta illam Rubeo *in singular. Rota Tom.* 2. *p. 2. circa stylum. v. capitulum, §. 1. num.* 2. Lotter. *de re benef. l.* 1. *qu. 15. à n.* 21. ita, ut etiam Præpositi, dum non Canonici, non constituant unâ cum Canonici Capitulum. Abb. *loc. cit.* Idem est de aliis dignitatibus, si canonicali præbenda careant. Abb. *loc. cit.* Azor. *Rendina. Raguc.* & alii apud Barbof. *loc. cit. num.* 14. citantem insuper seipsum, *de off. & potest. Episc. p. 1. tit. 1. c. 3. num.* 18. & Seraph. *decis.* 98. *num.* 1. Ubi is, quod de jure communi dignitates non sint de Capitulo, nisi in earum erectione exprimat concessio stalli in choro, vocis in Capitulo; vel nisi statuto vel consuetudine disponatur, quod sint de Capitulo. De Decano di-

R. P. Leur. *Jur. Can. Lib.* III,

icitur specialiter infra. Et quidem non omnes Canonici, sed solum, qui præter Canoniam ratione hujus jus suffragii habent alicubi, præsertim in Germania, etiam Canonici supernumerarii (aliàs nuncupati domicellares,) non pertinent ad Capitulum, nec sunt ad illud vocandi. Unde etiam ad Capitulum non spectant Canonici, qui nullo adhuc ordine sacro initiati; quia hi jure communi moderno, dum aliàs jure antiquiore Canonici, hoc ipso, quod essent tales, & omnes professi in monasteriis, etsi nondum sacris initiati id poterant. *Can. sin.* 16. *q. 7. c. 1. de elect.* vo cem in Capitulo in electionibus & tractatibus communibus non habent juxta *Clem. 2. de arat. & qualit.* & decretum *Trid. Sess.* 22. *c. 4. de reform.* Azor. *instit. mor. p. 2. l. 3. c. 11. qu. 20.* Monet. *de distrib. quotid. p. 2. qu. 20. à n.* 3. Tambur. *de jure Abb. Tom.* 1. *qu. 8. n. 8.* Garc. *de benef. p. 3. c. 4. n. 24.* Laym. *qq. de elect. pralat. qu. 181. resp. 3.* Ragul. *de voce can. in Capit. qu. 24.* & alii, quos magno numero citat & sequitur Barbof. *loc. cit. n. 3.* Ita etiam, ut Capitulum super hoc dispensare nequeat, & vocem concedere alicui, qui non sit ad minimum Subdiaconus. Monet. *loc. cit.* Zerol. *in pr. episc. p. 3. v. Canonica. §. 5. Piafec. pr. episc. p. 2. c. 3. num. 7.* Nav. *cons. 7. de cler. non resid.* Barbof. *loc. cit. n. 5.* Neque etiam, ut idem *n. 6.* citans pro hoc S. Cong. *Concil. sub die 20. April. 1603.* Canonicus id ipsum præscribere, aut aliquo pacto acquirere possit. Quò minus tamen Canonici, vel etiam alii clerici, qui jure Canonice non habent jus suffragii, carentes Ordine sacro, illud habeant alio speciali jure, puta, ex privilegio vel fundatione, nil vetat. Garc. *p. 3. addit. ad c. 4. n. 31.* Portel. *in du regular. v. electio. n. 6.* Barbof. *loc. cit. num. 8.* Wiestn. *b. t. num. 4.* Uti etiam Professi Ordinum militarium & moniales absque eo, quod sint in Ordine sacro, sua capitula celebrare possunt juxta Gl. *in clem. 2. de arat. & qualit. v. mancipati.* Quin etiam Prælato principali ecclesiæ collegiatæ competere præfidentiam & vocem in Capitulo, etsi sacris ordinibus careat, asserit Barbof. *loc. cit. num. 11.* citatis Ragul. *loc. cit. c. 5. n. 3.* & Garc. *in addit. ad c. 4. part. 3. sub num. 26.* De cætero in ordine ad habendam vocem in Capitulo per se non spectat ætas, ita ut Canonicus dispensatus à Papa ante legitimam ætatem ad subdiaconatum, ad hunc promotus, vocem habeat in Capitulo, cujus incapax erat, non per se & principaliter ratione ætatis modò annos discretionis habeat, sed ratione defectûs ordinis talem ætatem poscentis. Barbof. *loc. cit. num. 9.* citatis Felin. *in c. postulasti. de rescript. n. 12.* Sanch. *de matrim. l. 8. d. 1. n. 23.* Tamb. *de jur. Abb. Tom. 4. d. 5. qu. 8. num. 10.* Suar. *de relig.*